

Festividad de San Isidoro de Sevilla

Al igual que en años pasados los alumnos de la Facultad de Filología clásica, de nuestra Universidad Pontificia, celebraron la festividad de San Isidoro de Sevilla, Patrono de la Sección de Clásicas. Por coincidir este año la fiesta dentro del período de vacaciones de la Semana Santa, se trasladó su celebración externa al día 20 de abril. Ese día acudieron todos los alumnos de la Sección a la capilla del Colegio de las Hermanas del Amor de Dios, para asistir y participar en el sacrificio eucarístico.

El coro interpretó diferentes cantos, en que se alternaron las melodías gregorianas con los nuevos cantos en español: Manzano, Aragiés. La santa misa fue celebrada por el Prof. José Oroz, Agustino Recoleta. Con gran sorpresa de los numerosos asistentes a la misa, nos deleitó con una homilía pronunciada en latín. En estos tiempos en que se abandona, con razón y sin ella, la lengua latina, creemos muy acertada la elección de la lengua del Lacio cuando se dirige a alumnos que están dedicados especialmente a su cultivo. Como no es corriente en nuestra patria escuchar un sermón en latín, y para complacer a los que, en gran número, solicitaron del P. Oroz una copia del sermón, ofrecemos al final el texto de su homilía.

Terminada la misa, los alumnos y profesores se reunieron en el bar de la Pontificia, en un fraterno y amistoso simposio. Los estudiantes de Clásicas saben muy bien aunar lo serio con lo jocoso, y al lado de unos comentarios de Homero o de Virgilio encuentran tiempo para dedicarse, aunque sea brevemente, a las alegrías y bromas que nacen sobre una mesa bien servida. Los profesores tampoco ignoran las muestras de camaradería que en determinadas ocasiones aparecen en las reuniones con los alumnos. Es un detalle más del humanismo que siempre domina en los estudios clásicos, lo mejor de nuestra herencia greco-latina.

P. O.

IN FESTO SANCTI ISIDORI HISPALENSIS ORATIO

Libenter, fratres carissimi, nobis sermo ad uos est de eo quod semper sanctus pater Isidorus toto corde et tota anima quaesiuit, de eo quo *humanitas*, quam dicunt, et etiam sanctitas ipsa firmatur, fouetur atque ad perfectionem peruenit. Si reuera festiuitate caelestis patroni pro litteris classicis gaudere uellimus, etiam eius exemplum sequendum credo, sancti enim in Ecclesia positi tamquam monimenta perennia uirtutum omnium quae maxima luce uitam inlustrarunt eorum qui superioribus temporibus Deo seruire censuerunt et eorum qui nostra aetate ad Dei seruitium hominumque sunt uocati.

Si ergo omnes nos Isidori exempla imitanda censemus, oportet, fratres et amici desideratissimi, ut mundo corde sapientiam diuinam discere diligamus et intellegere appetamus, ipsa enim Dei cognitio fideliter quaerentibus et instanter meditantibus occurrit. Cognitione autem Dei nihil melius est; quia nihil beatius, immo ipsa beatitudo est. Vnde et Christus ad Patrem ait: «Haec est autem uita aeterna ut cognoscant te unum uerum Deum et quem misisti Iesum Christum» (*Ioan.* 17, 3).

Huius ergo sapientiae notitiam qualiter adipiscamur audiamus. Primo quaerendum est homini quae sit uera sapientia. Sapientia perfecta est Deum quaerere, et Deum colere secundum mandatorum ueritatem caelestium. Omnis qui sic sapiens est, procul dubio beatus in aeternum erit. Beata siquidem uita, ut diuus ait Augustinus, est cognitio diuinitatis; cognitio diuinitatis, uirtus boni est operis; uirtus autem boni operis fructus est aeternae beatitudinis.

Omnes nos qui studiis latinis graecisque uacamus, lectionem diuinarum Scripturarum nullatenus omittere debemus, in quibus magnum nobis solatium, et in quibus quodam quasi in speculo homines considerare seipsos poterunt, quales sint quoue tendant. Lectio adsidua purificat animam, timorem incutit gehennae, et ad gaudia supernae lucis corda instigat legentium pieque meditantium. Qui uult cum Deo semper uiuere, frequenter orare et legere semper debet quae Deus mandata dedit hominibus. Cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum uero legimus, Deus nobiscum uersatur. Geminum confert donum lectio sanctarum Scripturarum; siue quia intellectum mentis erudit, seu quia abstractum a mundi uanitatibus hominem ad Dei amorem perducit. Labor est honestus diuinae lectionis, et multum ad animae proficit emundationem perfectionem-

que. Omnes plane Scripturae sanctae ad nostram salutem scriptae sunt, ut eis proficiamus in ueritatis agnitione et ad amorem aeternum perueniamus.

Ideoque, dominae dominique humanissimi, fratres nobis carissimi, quicumque nostrum testamenta, ut dicam, auctorum graecorum uel latinorum litteris humanis mandata intellegere ualemus, etiam sacris libris studium indefesso labore impendamus ut frequenter ex eorum meditatione uires et gaudia alacriter haurire possimus. Si quando tamen locutionis sacrae sensum ex lectione percipere non ualeamus, adtentius Spiritum audiamus ut inde aliquando saltem aedificationem accipiamus spiritualem.

Cum uero, magisterio caelesti instructi, quid faciendum quidue uitandum sit acceperimus, non sit mora in faciendo, quod intus sapiamus intellegendo, quia ut diuus scripsit Paulus «Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur» (*Rom. 2, 13*). Itaque omni diligentia studeamus ut uoluntas Dei nobis manifestetur; postquam autem eius cognouerimus uoluntatem, summo nisu contendamus oportet ut hanc faciamus implentes illius mandata, et instanter deposcamus ut in hoc perseuerantes ad promissa diuina perueniamus.

Ad quod nos adiuuare dignetur diuus Isidorus qui suis exemplis nobis praeest, et doctrina disciplinae et uitae sanctitate nobis semper magister et dux erit. Nobis quoque adiutorium ferat ipse qui per suam bonitatem de tenebris ad regionem lucis et pacis et amoris uocauit, et per suam gratiam de potestate diaboli liberauit, quique bene et legitime certantibus caelestis praemia regni aeterna promisit, Iesus Christus Dominus noster, qui uiuit et regnat cum Deo Patre et Sancto Spiritu aeuo perenni. Amen.